





Q. D. B. V. 1731. 582

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

COLLATIONE  
BONORUM 21

QUAM

PRÆSIDE SUPREMO NUMINE

EX DECRETO

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS

IN ALMA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSEQUENDI

DIE VIII. JUNII A. O. R. MDCCLVIII.

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SISTIT

JOSEPHUS BEURNIER

MONTISBELGARDENSIS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI,

TYPIS JOH. HENRICI HEITZII, UNIVERS. TYPOGR.

VIRO  
NOBILISSIMO SPECTATISSIMO  
DOMINO  
PETRO JOSEPHO  
BEURNIER

MERCATORI MAGNARIO INTEGERRIMO  
PATRUO OPTIMO

E SACRO BAPTISMATIS FONTE  
SUSCEPTORI HONORATISSIMO

HOC QUAECUNQUE STUDIORUM JURIDICORUM  
SPECIMEN


IN SEMPITERNAM SUMMORUM BENEFICIORUM MEMORIAM  
ET DURATURI PATROCINII SPEM  
DEVOTA MENTE

DAT, DICAT, CONSECRAT

AUCTOR.



§. I.

 COLLATIO bonorum, de qua ob insignem & theoreticum & practicum, quem habet, usum, Speciminis Academici loco breviter agere constitui, absque dubio ex Prætorio jure originem ducit. Ex quo enim Prætor liberos emancipatos ab hereditate paterna Jure Civili remotos, ad bonorum possessionem contra tabulas, rescisso ob æquitatem naturalem impedimento civili, admiserat, bonorumque paternorum, cum liberis qui in potestate manserant, participes effecerat, æquum eidem videbatur, ut liberi emancipati ita cum suis conjuncti ea, quæ vel a parentibus jam acceperant, vel aliunde sibi comparaverant, bona, in communem hereditatem conferrent (a).

§. II.

Collationis ratio, quam ex æquitate commendat Ulpianus (b), circa æqualitatem inter liberos servandam potissimum versatur. Cum autem liberi in sacris constituti, omnia patri, emancipati contra, ex quo sui juris facti

A 2

---

(a) L. 1. pr. D. de collat.

(b) cit. L. 1. pr.

facti erant, cuncta sibi acquirerent (c), maxima sæpe oriebatur inæqualitas inter liberos, jure sanguinis omnino æquales, quosve mera civilis ratio per emancipationem disparis fecerat conditionis, si emancipati, impetrata bonorum possessione, partem rerum a suis patri acquiritarum caperent, & omnia sibi interim quæsitâ retinerent. Hinc summa æquitate caverant Prætores Romani, ut emancipati una cum suis in successione paterna concurrentes, ea in medium conferrent, quæ patri, si in ejus potestate mansissent, acquiritori fuissent.

§. III.

Prætoris edicto bonorum collatio introducta, Prætorum responsis, atque Imperatorum constitutionibus, admodum aucta est ac emendata. Scilicet cum ab initio emancipatis ad paternam hereditatem, vel bonorum possessione contra tabulas, vel edicto *unde liberi* admittis (d), omnia bona cum profectitia tum adventitia, solis castrensibus & quasi castrensibus exceptis (e), tum demum conferre incumberet, quum una cum suis, non vero emancipatis fratribus, eodem jure in successione concurrerent (f); SÆVOLA JCTus Prætoris edictum ad emancipatos diverso licet jure cum suis succedentes interpretatione extendit atque ita ampliavit, ut etiam si filius suus heres institutus hereditatem ex testamento consequeretur, emancipatus vero bonorum possessionem contra tabulas impetraret, collationi tamen locus foret, propter injuriam, quam ex concessâ bonorum possessione,

(c) §. 1. §. 2. *Inst. Per quas person. nob. acq. L. 1. pr. D. si a Par. quis man. ibi emancipationis beneficium jus querendorum bonorum dicitur.*

(d) L. 20. §. 1. *D. de bonor. poss. contra tabul.*

(e) PAULI recept sent lib. 5. tit. 9. §. 4. §. L. 1. §. 15. *D. de collat.*

(f) *dict. L. 1. §. 5. L. 2. §. 5. D. §. L. 20. C. 4. 2.*

ne, per emancipati interventum, suus pateretur (g). Accessit deinde rescriptum D. PII, qui constituit, ut etiam filia in sacris constituta, dummodo hereditati paternæ se immisceret, dotem conferret (h); quod, ob rationis identitatem, Leo Imperator ad donationem propter nuptias sive a patre sive a matre aliisque ascendentibus paternis vel maternis profectam, nullo amplius suorum & emancipatorum discrimine habito, protulit (i). Denique JUSTINIANUS ultimam manum juri collationis ita sensim sensimque aucto adhibiturus sancivit, ut omnes liberi cujuscunque gradus, sexus, ætatis atque conditionis, ad successorem ascendentium sive ab intestato sive ex testamento venturi, bona saltem profectitia, speciatim non excepta, sibi invicem conferrent (l).

§. IV.

Juris collationis principiis ac progressibus breviter ita expositis, ad genuinam ipsius indolem, prouti jure novo obtinet, enucleandam, accedo. Collatio est lucri a vivo parente, cui succeditur, profecti, in communem hereditatem a liberis facta illatio. Qua definitione præmissa patet omnem collationem, quæ citra respectum successoris contingit, ab instituti mei ratione profus alienam esse, adeoque removeri collationes, quæ inter focios ex societatis contractu obtinent (m), quæ ad damnum ex jactu mercium levandæ navis gratia factò ortum, pro rata refarciendum, ex lege Rhodia de jactu fiunt (n),

A 3

quæ

(g) L. 10. D. eod.

(h) L. 1. pr. D. de dotis collat. & L. 12. C. de collat.

(i) L. 17. C. eod.

(l) L. 19-20-21. C. d. 2. Nov. 18. c. 6. & AUTH. ex testamento C. eod.

(m) L. 1. §. 1. & L. 2. D. pro socio.

(n) L. 2. §. 2. D. de L. Rhodia.

quæ tributorum vel collectarum præstationem denotant (o), aliasque plures in corpore juris passim occurrentes, de quibus fusc & quasi ex professo egit MICHALORIUS. (p) Hæc itaque bonorum, de qua mihi fermo est, collatio, quæ German. Einwerfung der Güter, Einschließung in das Erb oder in die Massa, Gall. Rapport de biens, audit, a STRYKIO (q) collatio succedentium vocatur.

§. V.

Quum jure novellarum tres potissimum succedentium ordines constituti sint, operæ pretium erit hos ordines perlustrare & an in singulis obtineat collatio, paucis disquirere. Descendentes quod attinet, extra omnem dubium est, illos utpote communi naturæ simul & parentum voto legisque provisione ad successionem vocatos (r), tam æquali jure in eadem concurrere, ut unus præ altero nihil præcipui, absque diserta parentum voluntate, sibi retinere queat, adeoque singuli bona a vivis parentibus, quasi in antecessum futuræ successionis accepta, æqualitatis servandæ causâ, sibi invicem conferre teneantur (s).

§. VI.

(o) L. 18. §. 25. D. de Munerib. & honorib. & L. 1. C. de Episcop. & Cler.

(p) rr. de fratribus p. 1. c. 12. n. 1.

(q) de success. ab intest. Diff. XI. c. 1. §. 1.

(r) L. 7. in fin. D. si tab. testam. non ext. & L. 7. pr. D. de bonis damnat. ubi inquit PAULUS: Ratio naturalis quasi lex quædam tacita liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successionem eos vocando; hinc dulces heredes apud JUVENAL. Sat. VI. v. 38. vocantur liberi.

(s) DOMAT. loix civiles p. II. l. 2. z. 4. S. 1. scribit: Le rapport de biens est d'une équité toute evidente, qui a son fondement sur l'égalité naturelle entre les enfans dans la succession de leurs ascendans, & sur ce qu'on présume que les dons, qui leur ont été faits par l'un de ces ascendans, ne l'ont été, que pour leur avancer une partie de ce qu'ils pouvoient espérer de l'héritié. conf. FERRIÈRE Diction. de droit & de pratique Art. avancement d'hoirie.



§. VI.

Cum autem ista æqualitatis ratio, quæ totum collationis fundamentum exhaurit, præsumto æquali parentum in liberos amore, atque æquali liberorum ad parentum successionem jure nitatur, ad omnes descendentes, nulla distinctione habita, utrum sui cum emancipatis, an soli inter se concurrant, utrum primi, an ulterioris gradus sint, merito extendenda videtur, atque tamdiu observanda, quamdiu nulla voluntatis paternæ in contrarium expressæ indicia occurrunt. Uti enim dispositio hominis tollit provisionem Legis, ita parentum arbitrio relictum est, an collationem fieri velint, nec ne (†)?

§. VII.

Parentum voluntas, ut collatio cesset, disertis atque indubiis declarata debet esse verbis: *prioribus enim legibus volentibus, in collationibus si quidem sine testamento morerentur parentes*

(†) Egregie hanc in rem PUFENDORFIUS de Jure Nat. & Gent. l. 4. c. 11. § 8. scribit: *Patri non omnino necessum est, ut æquis portionibus bona inter liberos dividat, sed potest uni atque alteri præ cæteris eximii quid assignare ob singularia merita aut præclaram spem, vel etiam ob peculiarem affectum*. Et paucis interjectis addit: *Nilominus prudentia hic opus erit, ne invidiæ & odiorum semina inter liberos spargat pater, si circa graves causas, æquales & æqualiter meritos inæqualiter tractasse visus fuerit. Unde si Pater absque testamento decesserit, neque civilibus LL. aliter dispositum fuerit, liberi æquis portionibus succedunt, quia in dubio æquali gradu defunctum attingentes æqualiter dilecti censentur.* conf. QUINTIL. Declam. V. *Suadet sane æquitas parentibus, ut æqualitatem inter liberos, quibus vitam ex æquo impertiti sunt, servare studeant;* Nov. 22. c. ult. pr. & Nov. LEONIS 19. *Ast inde perperam inferres, collationem bonorum inter liberos adeo necessariam esse, ut a parentibus remitti non possit; Constat enim parentes liberis inæquales portiones constituere posse* L. 39. §. 1. D. *famil. ercisc.* L. 8. C. *de inoff. testam.* cf. GROTIUS de Jure B. & P. l. II. c. VII. §. 8. n. 3.

parentes, collationes secundum earum Virtutem fieri; si vero testati nihil dicentes de eis, locum non fieri collationibus, sed res habere per dotem forte aut alio modo datas, & quæ sunt relicta defendere: JUSTINIANUS (u) sancivit, sive quispiam intestatus moriatur, sive testatus, quoniam incertum est ne forsan oblitus datorum, aut præ tumultu mortis angustiatus, huius non est memoratus, omnino esse collationes, & exinde æqualitatem, nisi expresse designaverit ipse se nolle fieri collationem, sed habere eum, qui cogitur ex lege conferre, & quod jam datum est, & ex jure testamenti.

§. VIII.

Liberi tam legitime nati quam legitimati, adoptivi quoque & illegitimi, qui in Imo succedentium ordine concurrunt, ad collationem jure obligantur. Legitimos quod attinet, uti in successione, ita & in collationis causa omne inter suos & emancipatos discrimen jure novo sublatum est. Per subsequens matrimonium sive per rescriptum Principis eo sine legitimati, ut succedant, cum ad parentum successione eodem jure ac legitimi admittantur, collationis oneri perinde subjacere videntur. De adoptivis liberis jam Prætor edixerat, ut ipsi ascendentium hereditatem adituri, bona ab iis accepta cum reliquis fratribus communicarent, vel potius eorum nomine pater adoptivus conferret (v); quod ad omnes casus, quibus liberi adoptivi sive patri naturali sive adoptivo succedunt, extendendum videtur; si quidem Adoptivi utriusque generis ab intestato eodem jure succedunt ac naturales (x). De liberis illegitimis denique observandum, quod, cum naturales & spurii ad successione maternam

(u) Nov. 18. c. 6.

(v) L. 1. §. 14. D. de collat. BACHOVIVS ad Treutlerum Disp. 17. tit. 3. lit. F.

(x) §. 14. Inst. de hered. qua ab intest. deser. & §. 2. Inst. de Adopt.

nam Scto Orphitiano admissi fuerint (y), iidem simul ad collationem, sive inter se, sive cum legitime natis concurrant, obstricci recte dicantur.

§. IX.

Liberorum nomine veniunt etiam nepotes, quibus repræsentationis, sive devolutæ in personas parentum successione jure, hereditas defertur. Nascitur ex hoc successione commodo collationis onus, cui nepotes ex persona præmortuorum parentum, quos repræsentant, quorumve facta præstare obligationesque suscipere, qua heredes, tenentur, subjacent (z). Illustris movetur hic quæstio, an scil. nepotes neptefve paterna hereditate abstinentes, & avo vel aviæ saltem succedentes, ad eorum collationem, quæ pater vel mater acceperant, obstringantur? Videas hic plerosque Doctores in utramque partem pari contentione disputantes, ac denique rem factis controversam scedere distinctionis componere studentes. Communiter nimirum distinguunt an nepotes cum liberis primi gradus, an vero soli inter se concurrant, atque priori casu collationem vel ideo necessariam esse pronuntiant, quod nepotes jure repræsentationis, non in capita, sed in stirpes succedant (a). Verum enim vero, cum ratio, qua communis hæc sententia adstruitur, ad posteriorem casum perinde atque eodem jure pertineat, nonnulli, rejecta illa distinctione, nepotes, ex beneficio Prætoris ipsis *Lege ult. C. unde liberi* adserto (b) paterna hereditate abstinentes, non repræsentationis sed proprio

B jure,

(y) l. penult. C. ad Sctum Orphit.  
 (z) L. 17. § 19. Cod. de collat. junct. L. 149. § 177. D. de reg. jur.  
 (a) CARPZOV. *jurispr. forens.* p. 3. *const.* II. *def.* 33. BERLICH p. 2. *Dec.* 247. n. 10. HENIGIUS p. 1. *qu.* 24. n. 37. aliique plures.  
 (b) COCCEJUS *de success. nepot.* Sect. 3. §. fin.

jure, siue inter se soli siue cum patruis concurrant, avo succedere, adeoque iusto, quod parentibus incubuerat, collationis onere liberatos esse statuunt (c).

§. X.

Mihi, in tanto virorum eruditorum dissenfu, litem sub iudice relicto verior atque ipsis legibus & æquitati convenientior videtur HUBERI (d) BERGERI (e) aliorumque sententia, qui existimant nepotes avo succedentes ea quæ parentes, ex quorum quippe persona succedunt, sub onere collationis acceperunt, licet ipsis heredes non existant, ideo conferre teneri, quia collationis onus successionis commodo ita inhæret, ut in quoscunque ex ordine descendantium succedentes transeat, atque æqualitas, quæ illius fundamentum est, postulat, ut nepotes ex avi hereditate tantum saltem capiant, quantum parentes præmortui fuissent habituri; adeoque omnia quæ illi in hereditatem contulissent, eadem & ipsi conferant. Ita praxin Galliæ fervare asserit DOMAT (f). In Germania vero, uti variant Dd. sententiæ, variat & ipsa praxis, quæ tamen, observante LAUTERBACHIO (g), magis ex usu hinc inde inveterato, quam ex juris ratione, nepotes paterna hereditate abstinentes ab onere collationis eximit.

§. XI.

(c) STRYK. *us. mod. tit. de collat.* §. 3. & *de success. ab intest.* Diss. alleg. c. 2 §. 15. BOEHMER *introd. in jus Digg. tit. de collat.* §. 4. & LUDOVICI *Doct. Pand.* §. 6. d. 2. Quæ hac de re inter WERNHERUM & BASTINELLERUM disputata sunt in compendio exhibet WERNH. p. 6. Obs. 499.

(d) *Prælect. Jur. Civ. tit. de collat.* §. 5.

(e) *Oeconomia Juris* pag. 494.

(f) *loc. cit. Sect. 3. §. 12. add. les principes de la Jurisprudence française* L. 1. tit. 3. S. 2. ch. 1. §. 75.

(g) *Colleg. Pand. tit. de collat.* §. 2.

§. XI.

Perlufrato descendendum circa collationem jure, prodeunt in secundo succedentium ab intestato ordine ascendentes, qui ob memoriam beneficiorum atque in solatium orbitatis, turbato mortalitatis ordine, ad luctuosam liberorum hereditatem vocantur (b). Hos excipiunt collaterales, inter quos primum locum obtinent fratres atque sorores, quibus utpote ex eodem sanguine genus ducentibus, tertio ordine successio defertur. Cum autem tam jure veteri quam jure novo in solis descendentibus prodita sit collatio, atque ipsa æqualitatis ratio, quæ pro iis militat, in reliquis succedentium ordinibus deficiat, cessante legis & ratione & dispositione, ascendentes atque collaterales a collatione immunes prædicandi sunt (i). Idem de omnibus extraneis heredibus, non provisione legis, sed testatoris beneficio, ad successionem venientibus afferendum esse nullus dubito. Quum enim jura collationis sint reciproca, atque extraneis in successione concurrentibus nihil a liberis conferendum sit, illos vicissim ad collationem non teneri æquissimum est, licet per eorumdem concursum collatio inter liberos coheredes

B 2

heredes

(b) L. 15. D. de inoff. testam. & L. fin. C. de instit. & substit.

(i) Præcipua ratio, cur in ascendentium atque collateralium successione locum non inveniatur collatio, quaerenda videtur in affectione parentum, qui, cum liberis æqualiter ad alimenta, quorum respectu, hereditas debetur, præstanda teneantur, ipsam hereditatem æqualiter illis relinquere voluisse præsumuntur; cui præsumptioni & æqualitati consentaneum est, ut quod uni liberorum præ cæteris antea datum est, id post mortem in commune conferatur, æque æqua lance dividatur. Contrarias quoque ascendentium successionem rationes plena manu congestas suppeditat BRUNNER in tr. de collationibus c. 3. n. 146. sqq. De collateralium ordine solus fere BRUNNER, ad L. 1 D. de collat. n. 5. dissentire videtur; ast ibi sphalma typographicum latitare atque pro patruo legendum avo monuit STRYK, cit. Diss. c. 2. §. 19.

heredes non impediatur (1). De quaestione vero an liberi cum superstite conjuge rescular suas ex statuto, uti in Marchia, conferente concurrentes ad collationem obligentur, variant Dd. sententiæ. Negativam sententiam cum LEYSERO (m) ex rationibus ab eodem allatis fovere lubet, duobus potissimum casibus exceptis, si scilicet ipso statuto reciproca collatio injuncta, vel per ea quæ liberi a prædefuncto parente acceperunt portio statutaria, quæ ad instar legitimæ conjugibus salva esse debet, imminuta est.

§. XII.

Hæc de personis conferentibus, nunc de rebus collationi obnoxiiis. Quum ad sola liberorum bona jus collationis spectet, illa autem, pro diversitate peculiorum, castrensia vel quasi castrensia, adventitia vel profectitia audiant, de singulis breviter mihi disquirendum est. Ad bona castrensia referuntur non tantum omnia, quæ filii occasione sagatæ militiæ acquirunt, sed & ea quæ parentes iisdem in militiam euntibus, ut inde subsidia atque ornamenta bellica sibi comparent, subministrant (n). Hæc quamvis ex parentum liberalitate profecta haud modicum filiis lucrum adferant, legibus in favorem militiæ latis a collationis onere exempta sunt (o).

§. XIII.

Ad exemplum peculii castrensis inventum est quasi castrense peculium; quo nomine veniunt omnia occasio-

ne

(1) L. ult. C. communia utriusque judicii. GILKENIUS in L. 8. C. de collat.

(m) Medit. ad Pand. sp. 409. med. 4. sq.

(n) L. II. D. de castrens. pecul.

(o) L. ult. C. de collat. & L. 4. C. famul. cretisc.

ne militiæ togatæ liberis vel a parentibus donata, vel artium liberalium exercitio quæsitâ (p). Cum enim ex Imp. LEONIS & ANTHEMI constitutione (q), *Advocati, qui dirimunt ambigua causarum fata, suæque defensionis viribus in rebus sepe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provideant humano generi quam si præliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent, atque iidem militare dicantur;* non immerito eadem, quæ castrensi peculio annexa erant, privilegia quasi castrensis rebus concessa fuerunt (r).

§. XIV.

Quemadmodum castrensi peculio adscribuntur omnia quæ ad instruendam sagatam militiam pro filio militatum abeunte vel militante a parentibus sunt erogata, ita quasi castrensi peculio accensenda veniunt omnia, quæ ad togatam militiam adornandam inserviunt. Pertinent huc in genere sumtus studiorum, quibus comprehenduntur expensæ in peregrinationes academicas, ad comparandam bibliothecam, dignitatemque doctoralem consequendam a Parentibus pro filiis factæ; quin & hoc nomine æs alienum studiorum causa vivis parentibus conflatum, post eorundem obitum, ex communi hereditate, quatenus modum non excedit, solvendum est (s).

§. XV.

Varias autem ea, quam modo adduxi, de sumtibus studio-

B 3

studio-

(p) L. 4. C. de Advocatis diversor. Judic.

(q) Exhibet hanc constitutionem L. 14 C. eod. conf. CICERO pro Murena cap. 9. sqq. & L. 1. de officiis cap. 22.

(r) L. ult. §. 1. C. de inoff. testam. & L. ult. C. qui testam. facere poss.

(s) L. 50. D. famil. eriscund. KREMBERG de sumtibus studiorum quest. 1. sqq. RICHTER ad aurb. habitæ C. ne filius pro patre Diss. 5. p. 92. sqq. & BRUNNEK de collat. cap. 4.

studiorum & in genere rebus quasi castrensisbus non conferendis, regula, patitur limitationes, quæ eandem in suos legitimos cancellos reducunt, atque litibus, inter fratres fororesque inde plerumque emergentibus, præscindendis inserviunt.

Imam Limitationem suppeditat *ULPIANUS* (\*), si scilicet pater credendi animo studiorum sumtus subministratos filio in portionem hereditariam imputari voluerit. Verum iste credendi animus non ex incertis præsumptionibus elicendus est, sed luculentis argumentis comprobandus, adeo ut ipsa horum sumtuum consignatio in peculiari libello a patre exarata, ad obligationem collationis inducendam, dissentiente licet *Carpzovio* (†), ne quidem sufficiat, nisi disertata de iisdem conferendis protestatio accedat (‡). Limitatione hac admittenda, regulariter deducenda tamen veniunt quæ necessariorum alimentorum rationem habent; quo pertinent omnia ad victum amictumque necessaria, quibus filio, si domi quoque mansisset, opus fuisset, quæve pater eidem denegare non potuisset (‡).

II<sup>da</sup> Limitatio est, si filius nummos a parentibus studiorum causa erogatos, plus vini quam olei consumendo, male impenderit atque studiis nuncium miserit (x). Cessante enim privilegii causa, cessat & ipsum privilegium; Et favore studiorum causa introducto omnino sane indignus est, qui eorum contemtor ac desertor evadit, quive officii immemor nec reipublicæ utilitati nec familiaræ

(\*) *cit. L. 30. D. famil. ercisc.*

(†) *p. 3. const. 11. def. 20.*

(‡) *FINCKELTHAUS. Obs. XI. n. 6.*

(§) *BERGER Oeconom. jur. l. 2. t. 4. §. 51.*

(¶) *Arg. L. 1. §. 23. C. L. 2. §. 2. D. tit. de collat.*



lia decori, immo ne quidem suæ existimationi prospicit (y).

III<sup>ia</sup> Si filio literis operam navanti bona adventitia, quorum administratio penes patrem sit, suppetant. Ex his enim bonis sumtus studiorum potius quam ex re patris subministrati censentur, atque uti hoc in casu necessitas alendi in patre cessat (z), ita & sumtus studiorum suppetitandi obligatio corrui.

IV<sup>ta</sup> Denique si tanti sumtus in studia filii sint impensæ, ut reliquis liberis ne quidem salva maneat legitima. Favore enim studiorum major est legitimæ favor, atque, licet pater liberum suorum bonorum arbitrium habeat, id tamen ad legitimæ læsionem adeo non extenditur, ut ne quidem expressa prohibitio collationis in fraudem legitimæ valeat (a).

### §. XVI.

Celebris examinanda occurrit hic quæstio, an impensæ in publicum officium filio comparandum a patre factæ collationi sint obnoxie? Hic iterum quot capita, fere tot sensus reperias. Mihi cum BRUNNERO (b) res distinctione dirimenda videtur, an scilicet officium filio emptum ipsius personæ sit annexum, an vero in alium transferri queat? Illo casu cum officium morte filii vacet, nec quidquam inde ad heredes perveniat, propter onera

(y) Pertinent huc verba *L. ult. §. 5. C. de bonis qua liberis*: Melius est juveniles coarctare calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium.

(z) *L. 5. §. 7. D. de Agnoscent. & alend. lib.*

(a) *L. 7. pr. D. de bonis damnat. & L. 32. C. de inoff. testam. BRUNNEM, ad L. 10. §. 3. D. de collat. & MEVIUS p. I. Decis. 84. n. 2.*

(b) *de collat. c. 4. n. 490. sqq.*

ra dignitatis, impensarum collatio cessat; sin autem officium, uti in Gallia præsertim a FRANCISCI I. temporibus obtinet, in commercio extat iterumque alienari potest, pretium juxta æstimationem tempore mortis factam, tanquam lucrum quod filius ex bonis paternis percepit, omnino conferendum est (c).

§. XVII.

Sequuntur bona adventitia, sub quibus, vocabulo latius sumto, comprehenduntur omnia, quæ extra militiam sagatam vel togatam aliunde quam ex re parentis, de cujus successione agitur, filio acquiruntur. Horum bonorum cum patri saltem ususfructus, filio vero proprietatis competat, eadem & extra collationem intuitu proprietatis posita esse dubio caret (d). De fructibus vero bonorum adventitiorum res non æque expedita videtur. Liberi enim emancipati cum ista bona pleno jure possideant, sui contra eorundem ususfructum patri præstare teneantur, ingens oriri videtur inæqualitas inter suos atque emancipatos ad paternam successionem pari jure vocatos. Ast respondetur ususfructum bonorum adventitiorum emancipatis vel ipso emancipationis actu remissum atque collationi exemptum censeri, ut cum alimentis, quæ liberi a parentibus non segregati percipiunt, quodammodo compensetur; atque licet forte redditus bonorum adventitiorum a filiis emancipatis percepti valorem alimentorum liberis suis subministratozr excedant, cum res & aliter se habere possit, hæc inæqualitas ad hypothefin redigi nequit (e).

§. XVIII.

(c) L. 1. §. 16. D. de collat. & L. 30. §. 2. C. de inoff. testam. cf. HAHN ad Wesenbec. tit. de dotis collat. n. 3.

(d) L. ult. C. de collat.

(e) HUBER prælect. Jur. Civ. dict. tit. §. 3. & STRUV. Exercit. ad Pand. 37, thes. 32. in fine.

§. XVIII.

Ad bona profectitia progredior. Referenda huc veniunt ea quæ liberi a parentibus utriusque generis tam primi quam ulterioris gradus, ad quorum successione[m] vocantur, citra militiæ vel sagatæ vel togatæ respectum, acceperunt. Huc pertinent donationes liberis factæ, quæ collationi potissimum ansam præbent. Cum enim, uti supra dictum est, æqualitatis inter liberos servandæ ratio postulet, ne unus præ altero ex bonis paternis quid præcipui habeat, æquitati omnino consentaneum est, ut donationes uni liberorum factæ, quibus communis hereditas imminuitur, in collationem veniant, nisi vel lege vel expressa donatoris voluntate ab eadem sint exemptæ. Donationum autem cum non una sit species, atque aliæ inter vivos, aliæ mortis causa, aliæ simplices & relatæ sint donationes, de singulis breviter, pro instituti ratione, differendum est.

§. XIX.

Mortis causa donationes instar legatorum & fideicommissorum extra collationis legem positas esse certius est (f). De donationibus vero inter vivos, sive ex mera liberalitate sive sub modo liberis a parentibus sint factæ, non æque constat; & acerrima quidem de donationibus simplicibus, an eæ collationi subjaceant, lis inter Doctores fervet. Negativam sententiam tuentur BERGERUS (g), STRUVIUS (h), WISSEMBACHIUS (i), LAUTERBACH (k), atque HUBERUS (l). Adfirmativam

C non

(f) L. 1. §. 19. D. de collat. L. 12. 13. 15. C. eod.

(g) Resol. legum obst. quest. 2. ad d. tit.

(h) Exercit. ad Pand. 37. th. 28.

(i) Exerc. ad ff. Disp. 12. th. 12.

(k) Colleg. pand. d. t. §. 17.

(l) prælect. Jur. Civ. dict. tit. §. 4.

non minus fortiter propugnant CUIACIUS (m), SCHIL-  
TER (n), STRYK. (o), LEYSER. (p), SCHAUMBURG (q)  
aliique plures. Prolixum nimis foret hic in omnium ra-  
tionum pro utraque parte militantium discussionem ex-  
currere, atque licet a tot tantisque viris dudum ventila-  
tæ dirimendæ operam navare mearum partium non est.  
His tamen meum qualemcunque calculum additurus, ve-  
riorem atque æqualitati, quæ in collatione intenditur,  
convenientiorem eorum sententiam esse duco, qui sim-  
plices donationes a parentibus liberis factas, præsertim  
si alicujus momenti sunt, conferendas esse statuunt (\*).

§. XX.

(m) Lib. 3. Obs. 30. (n) Exercit. ad ff. 41. §. 17.

(o) cit. Diff. cap. 4. §. 14. *Uf. mod. tit. de collat. dotis* §. 4.

(p) Specim. 410. med. 1.

(q) *Comp. Jur. Digg. d. t. §. s.* quibus add. doctissimus inter Lusitanos  
JCTUS DE CARVALHO *tr. de quart. deduc. ad cap. RAYNALDUS*  
P. 4. c. 1. n. 139. *sqq.*

(\*) Afirmativa, quam amplector, sententia fundatur in *leg.*  
20. §. 1. *Cod. de collat.* cujus verba sunt: *Jubemus ad si-*  
*militudinem ejus qui ante nuptias donationem vel dotem con-*  
*ferre cogitur, etiam illam personam, que nulla dote vel an-*  
*te nuptias donatione data, solam simplicem donationem a pa-*  
*rentibus suis accepit, conferre eam; nec recusare donationem ex*  
*eo quod simplex donatio non aliter confertur, nisi hujusmodi leg-*  
*em donator, tempore donationis, sua indulgentie imposuerit.*  
In hoc ipso autem textu negativæ sententiæ patrocinium qua-  
runt adversarii, atque inde regulam fingunt, *donationem simplicem*  
*regulariter non conferri.* exceptionesque ibi tantum in duobus  
casibus poni statuunt, quorum unus est, si donator collationem  
diserte jusserit, alter, si unus ex liberis dotem vel donationem  
propter nuptias conferre teneatur. Ast recte observavit GORHO-  
FREDUS in *not. ad dist. leg.* ultimis ejusdem verbis vanum dona-  
tarii argumentum, s. ut nos loquimur, rationem dubitandi con-  
tineri; eam vero falsam esse ex præcedenti L. 13. *Cod. eod. ap-*  
*paret, atque ex verbis Nov. 18. c. 6. res per dotem aut ALIO*  
*modo datas, satis superque probatur.* Objiciunt porro contrariæ  
sententiæ patroni L. 18. *pr. famul. ercisc.* in qua filix cujus no-  
mine

Donationibus relatis accensentur dotis datio, donatio propter nuptias, donatio remuneratoria, & quæcunque ad certum finem fiunt (r). Vox dotis in doctrina de collatione in significatione paulo pleniore, quam alias solet, accipitur. Comprehendit nimirum omnia quæ liberi nuptiarum tempore a parentibus accipiunt, & ex quibus locupletiores efficiuntur. Huc referuntur vestimenta & ornamenta nuptialia, quæ una cum dote in collationem non tantum ex illa ratione veniunt, quod pro accessione dotis reputantur, sed & quoniam inde

C 2

locu-

mine pater res comparavit, per arbitrum familiæ eriscundæ præcipuas eas adjudicari rescribunt Imp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS, quos auctores quoque agnoscit *L. cit. 13. C. de collat.* Harum vero legum ut contrarietas solvatur, *dist. leg. 13. de contraria patris collationem prohibentis voluntate* explicat ZOEIUS *tit. de collat. n. 25. §. 99.* BOEHMER. *Introd. in Jus Dig. n. 2. §. 6.* aliique plures. Aliud juxta quosdam est, donare filiæ, aliud nomine filiæ comparare; aliud filiæ absolute præcipuas res quasdam, aliud earum pretium adjudicare, ita ut filia, licet rem a patre sibi comparatam præcipuam habeat, pecuniæ tamen in eandem comparandam impensæ collatione haud immunis sit. Aliis denique placet distinguere inter præcipuum habere jure successione, & inter præcipuum habere per arbitrum familiæ eriscundæ; ita ut contra jura sit rem a patre donatam jure successione præcipuam habere, contra jura vero non sit rem istam per arbitrum dividendæ hereditatis præcipuam habere; præsertim cum iidem Imperatores hoc præcipuum per arbitrium familiæ erisc. in *L. 11. C. de donation.* ita explicent, ut a Patre filio familiæ donatum non perfecta donatione sed destinatione magis paternæ voluntatis ad eundem pervenisse dicatur, adeoque conferendum sit. Objiciunt denique nonnulli contra collationem donationum simplicium, eas, si liberis in potestate constitutis factæ sint, donationibus mortis causa æquiparari, quum demum morte patris convalescant; aut evolvant illi *Leg. 25. C. de donat. inter vir. & uxor.* atque obmutescent.

(r) *L. 1. pr. C. §. 1. D. de donat.*

locupletior reddita est filia. Maritus enim tanquam omnium rerum, quæ ab uxore inferuntur, usufructuarius, in locum vestium illatarum, quæ durante matrimonio atteruntur, alias substituere tenetur (s). Merito itaque in divisione hereditatis paternæ conferenda veniunt mundus muliebris, vestes pretiosæ, annuli, inares, armillæ, aliaque ornamenta quæ filix nubenti a vivis parentibus suppeditata sunt (t).

§. XXI.

Quod de dote profectitia dictum est, idem de donatione propter nuptias procedit, atque ad filium, in quem pater, dum uxorem duceret, donationem contulit, applicandum est (u). Pertinent huc, præter vestes pretiosas, arrhæ sponsalitiæ, dona nuptialia, non ab extraneis, sed a parentibus profecta, subsidia paterna ad rem familiarem liberorum instituendam vel labantem restituendam data, nisi plane modica sint, atque omnia, quæ dotis vel donationis propter nuptias causa, ex parentum bonis liberorum lucro cedunt, & ex quibus locupletiores existunt; quæ ideo in communem hereditatem regulariter inferenda veniunt (v).

§. XXII.

A regula modo data excipiendi videntur sumtus convivii

(s) §. 39. *Inst. de rer. divis.*

(t) Eximuntur a lege collationis vestimenta, quæ filia in sacris paternis constituta, nullo nuptiarum intuitu, accipit; hæc enim alimentis adscribuntur, atque ipso jure extra collationem sunt. L. 5. §. 12. D. de agnosç. & alend. liberis L. 234. §. ult. D. de verb. signif.

(u) L. 17. 19. & 20. C. de collat. & tot. tit. D. de collat. dotis.

(v) LEYSER. ad Pand. Sp. 305. med. 2. CAREZOV, *Jurispr. forensis*. P. 3. *Const.* 11. def. 15.

convivii nuptialis, quos a collatione exemptos esse non unica ratione demonstratur. Hi enim sumtus magis in honorem atque existimationem patris, quam filiae utilitatem fieri censentur. Porro dotis causa perpetua est, atque cum voto ejus qui dat, ita contrahitur, ut semper apud maritum maneat (x); causa vero sumtuum convivii nuptialis perpetua dici nequit. Accedit quod liberi ad ea, ex quibus absque sua culpa locupletiores non existunt, conferenda non teneantur. Non est, ut hic obicias laesionem innuptarum filiarum, quæ post parentis obitum nubentes ex suis bonis sumtus hosce nuptiales fatis quandoque graves facere tenentur. Idem enim & in sumtibus studiorum, immo & ipsis alimentis contingit; Ast damnum quod inde in liberos redundat, ex casu fortuito & inopina parentis morte obvenit, atque liberi natu majores & naturæ & Dei beneficio id adscribunt, quod antea nati & a vivis parentibus educati elocati que sint.

§. XXIII.

A collatione absque dubio immunes sunt donationes, quæ a parentibus ob singularia benemerita in liberos collatæ sunt; hæ enim donationes mercedes magis, quam donationes proprie sic dictæ, sunt (y); nec in lucro versari dicuntur liberi, qui operarum suarum e. gr. artificialium mercedem accipiunt (z). Verum enim vero ut de donatione remuneratoria constet, requiruntur singularia donatarii benemerita, extra peculiarem obligationem præstita, atque in ipso donationis instrumento expressa (a). Hinc donatio liberis hanc ob rationem facta,

C 3 quod

(x) L. 1. D. de jure dotium.

(y) L. 27. § 34. §. 1. D. de donat.

(z) BEYER. *posit. ad ff. de coll. §. 9. sq.* GAIL. *Lib. 2. Observ. 38.*

(a) STRYK *Diss. de benemeritis cap. 2. § tr. de cautelis contract. Sect. 3. 6. 9. §. 3.*

quod morigeri semper fuerint, parentes ea, qua par est, observantia, coluerint, egenteseve aluerint, remunerato-  
riae nomen haud tuetur, cum ejusmodi officia ad bene-  
merita neutiquam referri possint (b).

§. XXIV.

De quaestione, an donationes parentum ex pietatis  
causa liberis factae conferendae veniant, non minus aequa  
ac de reliquis, quas tetigi, quaestionibus, occurrunt Do-  
ctorum judicia. Res exemplis illustrata, ita, mea qui-  
dem sententia, decidenda videtur. Quod pater pro filio  
ab hostibus redimendo solvit, id a collatione exem-  
tum est (c). Quod autem pater pro filio ex delicto  
damnato a carcere liberando impendit, id collationi  
subjicitur. Utraque solutio ex pietate paterna oriri vi-  
detur: par utriusque causa est, diversus vero haud im-  
merito effectus; filius enim captivus, dum culpa caret,  
paterna miseratione ac pietate omnino dignus est; filius  
vero ex delicto damnatus odio patri esse censetur, atque  
praesumptio paterna pietatis vel ideo cessat, quia iniquis-  
simum foret, fratres innoxios alieni sceleris poenas luere.  
Unde filium ex delicto ad carceres vel poenam pecunia-  
riam damnatum, sumtus a patre hoc nomine pro eo im-  
pensos, omni jure conferre teneri praedictio confirmat  
STRUVIUS (d).

§. XXV.

(b) MENOCHIVS *L. 3. praesumpt. 29. n. 10. seqq.* negat talia de pa-  
tre merita dari, quae donationem remuneratoriam efficiant; ast  
ipse deinde in *Consil. 1103. n. 74.* ab hac sententia discessisse in  
eo casu videtur, si quid filius ultra quam debebat patri praestitit;  
siquidem tunc servum etiam de hero benemereri posse statuit  
JUSCIVS PAULUS in *Leg. 15. §. 1. D. de manumissis vind.* cur idem  
filio denegandum sit, causam non video.

(c) *L. 17. C. de postlim. revers.*

(d) *Exercit. ad ff. 37. th. 23.*



§. XXV.

De forma & effectu collationis nunc acturus, quædam de tempore, quo ipsa fieri debet, præmonenda esse duco. Collatio ante rerum hereditariarum divisionem regulariter instituenda est, quoniam partes hereditariæ, nisi de rebus conferendis earumve pretio constet, exacte constitui nequeunt. Coherede tamen per errorem ad divisionem sine collatione admisso, eadem implorato Judicis officio postea adhuc peti recte potest (e).

§ XXVI.

Duplici modo expeditur collatio, vel cautione vel re ipsa, quæ iterum fit, vel actualiter rem acceptam inferendo, vel remittendo, seu tanto minus ex hereditate capiendo; quod Jctis Gallis *rapporter ou moins prendre* audit (f). Cautioalem collationem quod attinet, eam nec veram, nec proprie dictam collationem esse existimo; cum nec actualis rei illatio, nec ejusdem æstimatio obtineat, sed cautio saltem de conferendis bonis, quæ conferenda esse postea adparebit, vel datis fidejussoribus vel pignoribus præstetur (g). Locum itaque saltem habet, quando incertum est, an & quid conferendum sit; de quantitate vero conferenda, si ea dubia est, juramentum liberis, qui ejusdem notitiam habere censentur, deferri solet (h). Hæc in securitatem coheredum introducta collatio cautionalis adeo quandoque necessaria est, ut si quis per inopiam cavere nequeat, portionis quæ eidem obvenit,

(e) L. 8. Cod. de collat. & L. 36. D. famil. ercisc.

(f) FERRIERE Dict. Art. Rapport de biens selon le droit coutumier. Conferre aut minus tanto accipere in Nov. 97. c. 6. synonyma sunt.

(g) L. 1. §. 9. D. de collat.

(h) MEVIUS p. 4. decis. 232.

obvenit, constituendus sit curator, & apud eum pecunia hereditaria, donec præstetur cautio, deponenda (i).

§. XXVII.

In reali collatione requiritur vel ipsa actualis rei a parentibus acceptæ illatio, vel ejusdem æstimatio. Inter Dd. quoque controversum erat, an rei conferendæ æstimatio in locum actualis illationis substitui posset? Negativæ sententiæ hæc potissimum favet ratio, quod aliud pro alio creditori invito solvi non possit (1). Vicit tamen multis in casibus atque gravissimis ex rationibus adfirmativa sententia, atque ea usu hodierno tam in Germania quam in Gallia prævalet (m). Quid enim, quæso, contra æquitatem atque ipsam inter liberos servandam æqualitatem per simplicem æstimationis collationem inferitur? Gravior forte res ipsa pretio coheredibus esse potest. An vero certum est cuinam ex pluribus coheredibus eadem sit obventura? Minime; res enim forti plerumque committitur. Præterea si judicio familiæ erciscundæ uni coheredum res hereditaria, eodem certam pecuniam reliquis præstare condemnato, vel ipsis invitis adjudicari potest, non video, cur res quædam uni liberorum a parentibus assignata eidem æstimationem offerenti relinquenda non sit. Quoties porro rei ipsius collatio conferenti noxia, nec tamen aliis coheredibus lucrosa esse potest? In promptu sunt exempla in libris, vestibus, ali-

isque

(i) L. 1. §. 10. § 13. D. diçl. tit.

(1) L. 2. D. de reb. cred. § L. 16. C. de solut.

(m) L. 1. §. 12. D. de collat. qua nititur sententia adfirmativa, VINNIUS de collation. c. 16. n. 2. alique plures de coheredibus consentientibus perperam, ni fallor, explicant, cum hac restrictiva interpretatione tota lex corruat atque prorsus inutilis reddatur. LAUTERBACH. Disp. de collatione dotis §. 53. & DOMAT. Loix Civiles p. 1. L. 2. tit. 4. sect. 1. §. 8.

isque quibus ob quotidianum usum filius ad collationem obstrictus, nonnisi majori cum detrimento, absque reliquorum commodo, plerumque carere potest.

§. XXVIII.

Æstimationis collatio, quæ hodie frequentior est, additione vel subtractione conficitur, dum scilicet rerum jam a vivis parentibus uni liberorum concessarum pretium communi, ut ajunt, massæ additur, vel ab ejus, qui easdem accepit, portione hereditaria subtrahitur; ita tamen ut persona conferentis semper connumeretur atque partem faciat (*n*). In constituendo autem rei conferendæ pretio non donationis sed mortis tempus spectandum est, cum mortis demum tempore patrimonii quantitas inspiciatur (*o*). Uti enim quicquid ad hereditatem pertinet eo tempore conferendum est, ita &, sive res ipsa a parentibus profecta, sive ejusdem æstimatio conferatur, ea spectanda est, quæ fuit tempore mortis, modo dolo, vel lata, quæ in causis civilibus dolo æquiparatur, culpa, deterior reddita non sit (*p*).

§. XXIX.

His ita positis facili solvuntur negotio variæ, quæ de rerum extinctarum vel alienatarum collationibus inveniuntur, quæstiones. Cum enim in qualibet collatione mortis tempus spectetur, non est, ut pluribus probem, in rebus absque dolo & culpa heredis extinctis, vel bona fide ante patris obitum ex causa necessaria alienatis, ex quibus ipse heres locupletior non est, collationem

D

essare.

(*n*) L. 1. §. ult. D. de collat.

(*o*) §. 11. Inst. de lege falcid.

(*p*) L. 1. §. 23. D. de coll.

cessare. *Vir bonus*, inquit PAULUS JCtus (q), *non est arbitraturus conferendum id quod filius nec habet nec dolo nec culpa habere desit.* Eadem si ad consumptæ dotis collationem cum grano falis adplicentur, locum quoque tuebuntur; siquidem filia non plus confert, quam soluto matrimonio ex dote recuperavit, nisi per eam jam majorennem steterit, quo minus maritum ad inopiam vergentem in tempore excusserit (r).

§. XXX.

De fructibus sive usuris, ex re vel pecunia a vivis parentibus in liberos profecta, perceptis, sæpius quaeritur, an & in collationem veniant? Respondet ad hanc quaestionem HUBERUS (s): usuras non vivis parentibus, sed post eorum mortem perceptas, a tempore moræ admittæ una cum sorte conferendas esse; atque suam responsionem argumentis & præjudiciis firmat. Qui itaque pecuniam a patre accepit, etsi ea diutissime usus, maximeque lucra ex eadem vivo patre consecutus sit, eam tamen fratribus suis absque usuris confert; quippe ante patris obitum ad collationem non tenebatur, atque in eo potissimum donationis effectus consistit, ut fructus ex rebus donatis vivo patre perceptos filius lucretur (t).

§. XXXI.

Collationis effectus non tantum in eo situs est, ut res collatæ communi massæ hereditariæ imputentur, atque

(q) L. 2. §. 2. D. de coll.

(r) L. 1 §. 6. D. dict. tit. Nov. 97. c. ult.

(s) Prælect. Jur. Civ. tit. de collat. §. 6.

(t) L. 5. §. 1. D. de dotis collat. quam DOMAT. loc. cit. §. 6. ad omnes collationes ob paritatem rationis extendendam esse putat. vid. LEYSER. ad Pand. Sp. 410. med. §.

que inter liberos five ex testamento five ab intestato parentibus succedentes juxta portionem hereditariam dividantur; verum etiam circa remedia versatur, quibus liberi contumaces ad collationem compelluntur. Deneantur scil. liberis collationem detrectantibus actiones hereditariæ, dum judex eosdem hereditatis divisionem petentes, exceptione de non præstitis præstandis, five non factæ collationis, a reliquis coheredibus opposita, statim a limine judicii repellit, donec mutato consilio acceptorum collationem sponte offerant (u); filius enim ad collationem paratus, etsi accepta partem ipsius hereditariam æquent vel etiam superent, a successione excludi nequit; siquidem *Prætor nec variantem repellit nec consilium mutantem adspersatur* (v).

§. XXXII.

Ita per modum exceptionis collatio ab eo, qui ad communem hereditatem dividendam agit, peti potest. Si vero filius ad collationem obstructus in rerum hereditarium possessione jam constitutus est, officio judicis implorato ad conferendum compellitur; & si cautioni interpositæ non stetit, convenitur actione ex stipulatu vel etiam hypothecaria in id quanti interest actoris cautum fuisse, atque condemnatur ad veram rei æstimationem præstandam (x). Descendentium enim successione tam legitimæ quam testamentariæ commodo ita inhæret onus collationis, ut ab ipso nec legum nec parentum dispositione remisso liberi se eximere nequeant, nisi rebus jam antea acceptis contenti, paterna hereditate prorsus abstineant; quod tum demum iis licet, quum cæteri

D 2

qui

(u) L. 1. §. 10. D. de collat. L. 11. L. 12. L. 14. C. eod.

(v) L. 8. D. d. t.

(x) L. 5. §. 1. D. de collat.

qui nihil conferendum accepere salvam habent legitimam (y).

§. XXXIII.

Superfunt collationum contraria, five modi quibus collatio legibus injuncta cessat; hæc autem, cum ex stabilitis principiis pronò fluant alveo, atque in hocce juridico tentamine passim jam occurrant, iis non immoror, & generali subjctæ materiæ, utilissimæ quidem, ast immensis obvolutæ difficultatibus, perlustratione, fatis cum HIPPOLYTO RIMINALDO (z) maceratus, ne nimio lectorem benevolum tædio adficiam, ad finem & ipsi & mihi exoptatum propero.

(y) Nov. 92. C. 1.

(z) SICHARDUS *ad tit. C. de collat.*

SOLI DEO GLORIA.

*Q*uis, SOBRINE, TUAS dubitaret dicere laudes,  
 Dum momentosum perlegit illud opus?  
 Gratulor egregio TIBI de tentamine, nec non  
 Adprecor ex animo prospera quaque TIBI.  
 Adnuat inceptis Deus, & præclara laborum  
 Præmia concedat, quæ TIBI quisque vovet.

Hæc pauca dilectissimo suo Patruelli  
 in sinceræ amicitæ signum  
 adposuit

D. F. BEURNIER  
 Philos. Cultor.

ULB Halle  
005 039 479

3









v. 1784. 572

UNIVERSITATIS JURIDICA

# DISQUISITIONE RUM

IN NOMINE  
SACRO  
SACRORUM ORDINIS  
CONSILII UNIVERSITATE

## SENTENTIA

DE JURE HONORES  
DOCTORALIA  
ACQUIRENDI  
R. MDCCCLVIII.

DISQUISITIONI SISTIT  
LEONHARDUS  
MURNER  
MURNERENSIS.

LEONHARDUS  
MURNERENSIS, TYPOGR.